

R. 28 013



CONCLUSIONES UNIVERSALES
 CIRCA USURAM CANONICO-CRITICÆ,
 QUIBUS *ANACEPHALÆOSIS* OPERIS
 inscripti *Spiritus Furis Naturalis, Divini, & Eccle-*
siaſtici, vera Eccleſiæ traditio circa uſuram, æ in
 lucem permiſſu Regio prodere parati.
 THEOLOGORUM, AC JURISCONSULTORUM
 examini publicè proponitur.

A U S P I C E
 DEIPARA VIRGINE
 JUXTA CRUCEM
 IN AMARA SOLITUDINE VENERANDA,

CUI ILLAS, EX VOTO, HUMILLIMO CORDIS
 flagrantifſimo affectu, D., et C. laudati operis Author

D. BENEDICTUS RAYMUNDUS AB HERMIDA, ET MALDONADO,
 Jur. Canon. Doct.; olim in Regia hujus Regni Galeciæ Curia Cauſarum Pa-
 tronus, nunc vero in Collegio Majori de FONSECA Uniuerſitate Compoſ-
 tellana Togatus Hoſpes, & antea Reſtor: Decretalium extra ordinem
 antiquior Antecellor: Primariæ Legum Cathedræ ſimul Pro-Mo-
 derator, Reique Typographicæ, ac Bibliopolicæ per Ga-
 læciam Delegatus Judex.

SUB CUJUS AUSPICIIS PROPUGNATURUS ADSTABIT
 D. Joannes Antonius Calderon, in celeberrima Compoſtellana
 Academia. Die 29. Maii anno Dñi. 1767.
 Manè hora 8., Veſperè autem 3.

Ex Typis Aguayo.

In Suburbio Olitorio.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

1155 EAST 58TH STREET

CHICAGO, ILLINOIS 60637

TEL: 773-936-3700

FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

ADMISSIONS OFFICE

PHYSICS DEPARTMENT

1155 EAST 58TH STREET

CHICAGO, ILLINOIS 60637

TEL: 773-936-3700

FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

ADMISSIONS OFFICE

PHYSICS DEPARTMENT

1155 EAST 58TH STREET

CHICAGO, ILLINOIS 60637

TEL: 773-936-3700

FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

MONITUM LEGENTI.



RTAM IN CURIA REGIA GRA-
vissimam de fœnore controver-
siam tribus ab hinc annis nullus
per Hispaniam ignorat, qua id
presertim agebatur, iusti ne red-
ditus illi fuissent ad rationem duo-
rum, vel trium per centum sol-
vi soliti his omnibus, qui pecu-

niam suam celebri societati commercii, vulgo *Gremios*, confere-
bant amplissimo, & uberrimi quæstus agitandam negotio. Simi-
literque nullum latere puto, causa cognita, & virorum Illustrissi-
morum scientia, ac Dignitate micantium iudicio, pro ut gravitas tan-
tæ rei merito exigebat, commissa, finem controversiæ Regio fuisse
impositum Decreto proxim prædictam legitimam declarante.

Interea tamen, & dum hæc maturo discutiebantur con-
silio, anxietate maxima Deum timentium conscientia preme-
bantur, cum hinc, & hinc viros Doctissimos audissent pro utraque
parte pugnantes: Mercatoresque ipsi capitale sibi commissum re-
tinere recusabant, familiis plurimis facultatum suarum non mini-
ma imminenti iactura, immo, & multis excidio irreparabili mi-
nitante.

Hoc in conflictu à multis adorti, qui nostris viribus plus ius-
to confidebant, volentes nolentes sententiam nostram aperire eo-
acti sumus: etsi in abrupto itinere non nisi trepido pede progre-
di auderemus, Benedicti XIV. in Epist. adversus usuras oraculo ter-
riti; profundissimam illam Sacrorum Canonum notitiam, qua
Doctissimus Pontifex imbutos esse debere asserit, qui de uluris sibi,
ut respondeant, sumunt, minime percallere cognoscentes.

Cum tamen, quod inviti consulimus, Regia postea auctori-
tate, Magistratuumque insignium calculo, firmatum videremus, au-

si, fateor, jam fuimus ad majora procedere, altioremque rei indaginem instituere: Ob id præsertim moti, quod in re quotidiana, & passim in vitæ decursu se offerente, tale, & tantum fuerit inter celebriores Doctores dissidium, quale in alia materia Morali non deprehenditur, in maximam animarum salutis perniciem: quo enim se vertere debeant homines ignorantes, plerumque ita se dubia conscientia gerunt, ut facile in peccati voraginem prolabantur. Qua de causa idem argumentum suo tempore Div. Thomam agitasse, facit fidem opusculum 73. Unde non vile negotium credebamus assumere, si, quantum vires sinerent, omni solitudine propriæ fortunæ promovendæ semota, nos, & fortunam nostram utilitati publicæ devoveremus: apertam, tutam, ac rectam viam, (qua possimus) indagantes, licet ignotas plagas profundissimæ antiquitatis tenebris demersas percurrere, vel apud populos insuetæ linguæ, insolentiumque Morum peregrinare adstringeremur, ut re constricti fuimus.

Nec, etsi difficile, forte que viribus nostris impar, impossibile ausum, te bene perpensa, omnino putabamus, si SS. PP. inherentes vestigiis, quo illi vergerent divergentes, viam, quæ per 12. sæcula fuit omnibus ruta, & plana, fideliter exaratam exhiberemus. Certissimum enim nobis erat, nusquam per tot sæculorum curricula, dissidia, vilicitationes ve auditas, quæ hodie in scholis, & quod magis dolendum, in Ecclesiis, quotidie perstreperunt: nobile, & insigne veritatis catholicæ argumentum, quam in universitate, antiquitate, & consensione repositam ipsi Apostoli docuerunt.

Neutiquam enim fide inærens putabamus occasionem SS. PP. deesse nostri ævi quæstiones agitandi, prout quibusdam Theologis placet, antiquitati incognitos omnino fuisse audentes asserere contractus illos, super quorum validitate lis in præsentem vertitur. Nec nostra nos fefellit opinio, pauci enim sunt hodierni contractus, quorum imaginem SS. PP. tempore vividis coloribus, quam optime expressam non reperiremus. Diu Consilium hoc in animo volentes, operi demum sedulam admovimus manum, assiduoque labore compita, & invia extimæ antiquitatis itinera pervadenda suscipimus, duplici volumine descriptam peregrinationis nostræ referentes tabulam.

Populum Israëliticum in Deserto primo specularantes, quæ ab ipso Deo terribili voce, Moyse interprete, prolata fuerit, collegimus omnia,

omnia: nec quidquam á Sacris vatibus divino afluu pronuntiatum
amissimus: Rabbinos per celebres, Synagogæque Doctiores Ma-
gistros accersentes, qui litteræ sacræ, & morum Judaicarum mi-
rum inter se nexum oculis nostris obiicerent.

Eadem diligentia Evangelicam legem perlustravimus, sa-
pientioribus, & vetustioribus Interpretibus, tam veteris, quam
novi Testamenti manu ductoribus; hac cautela, dedita usi opera,
ut partialitatis suspicionem omnino vitaremus, illos, hac de causa,
præferentes, qui ante exortam ullam de fænore controversiam,
nulla ve particulari opinione imbuti, interpretationes concinnarunt.

SS. PP. omnium á Sæc. 2. (quo de usuris pertractare cæ-
ptum) ad 12. scripta diligentissime perscrutati fuimus, correctio-
ribus editionibus conquisitis (quod si in omnibus, in hac mate-
ria maxime necessarium, cum depravati, & corrupti loci ab Hæ-
reticis quamplurimi circa usuras in SS. PP. operibus irrepsissent) in-
tegras locos fideliter transtulimus scopulum, sapientioribus scripto-
ribus commune vitare curantes, ad invicem illos inter se, & cum
originalibus á quibus versos contendentes: sensum, & spiritum
textus non solum ex aliis locis ejusdem Authôris, alterius ve coeta-
nei; sed ex motibo, & objecto operis, Historia temporis, mori-
bus Regionis, legibus ve locorum in quibus scripserunt, aliisque
monumentis, vel fidelibus anedoctis maturo indagine sciscitantes.
Nec minor cura fuit in veris á falsis discernendis, genuina SS. PP.
opera á supposititiis secernere studentes; quod, non admodum
diligenter apud Authores celebres observatum, ansam errori facile
præbuit ex quo parum solida systemata circa usuram duxerunt
originem.

Eadem Methodo, eadem solertia, nec minimo labore Con-
cilia percurrimus, Monumenta ecclesiastica cujuscumque generis
ex omni antiquitate rimati: Historias, & consuetudines Gentium
inquisivimus: diversa commerciorum genera, variosque argenti
apud unumquemque populum usus exploravimus; Græcas, Ro-
manas, Gothicas, Longobardicas, moderniores que leges omnes
evolvimus, Philosophorum, & Jurisconsultorum sententias æqua-
lance, ad Juris naturalis, & Gentium libram, perpendentes.

Nostrom laborem adhuc in schedulis latentem cito vulga-
vit Fama: hincque rumore varie exorto, aliis Methodi insolite
novitas stomachum faciebat, jis præsertim quibus ratiocinandi
libertas, cui ab incunabulis affueti, omnino in deliciis erat, neque

in rebus hujusmodi terminandis, plurimum auctoritati tribuere solebant; alii vero propositum laudabant, ac publici juris fieri, appetitis, & instantibus votis expetebant. Illud ergo jam publico examini oblatum, DD. magni nominis scientia, ac virtute fulgentium approbatione subscriptum, Permissu Regio, ut de Republica optime meritis viris obsequeremur, publica luce donare decrevimus; sed dum editionem, quæ citationibus, & notis referissimam, præsentiam nostram exigebat, parabamus, infelix privatorum negotiorum malecedentiũ exitus, tristisque rerum domesticarum eventus, vertere solum, & ad Patrios confugere lares nos coegit, lacrymisque non Musis amplius orbis vacare permisit.

Interea tamen lenius, Deo largiente, tempus spectantes, quo captum persolvere liceat, ad publicum docendi munus rite implendum studium impendentes, publicæ disputationi laboris nostri specimen submittere, mori Academico satisfacturi, non incongruum est visum: principia nostra circa usuram palam profitentes, ne quid quorundam cavilarum mentibus suspitionis oriretur, quibus dilata editionis operis nostri causæ forte fuissent ignotæ. Ultra sententiam nostram tot Doctorum insigniumque virorum examini, & criterio submittentem, quot per celeberrimam Academia nostra, Civitasque Sancta totius orbis Gentium frequentia nobilis, exhibet majori laude dignos. Aequo animo corrigere, castigare, retractare parati quidquid minus apte, minusve julte appareat intersertum.

O. S. R. E. J. S.

THEO.

THEOREMATA

I.

USURAM non esse peccatum pertinaciter affirmare, (quod non á Græcis, ut aliqui putarunt, sed ab Hæreticis Patharis, & Catharenis primo ausum), ut pote Hæreticum damnavit Clemens V., Cujus declarationem, condemnationem ve, quæ prima hujus generis inter ecclesiastica monumenta extat, maxima veneratione prosequimur; sive illa ex Concilio Viennensi dimanarit, ut communiter creditur, sive cum cæteris Clementinis potius solo Clementi tribuatur.

II.

Hinc usuram non solum lege Moyſis, verum, & lege gratiæ, omni Jure, Naturali, Divino, & Ecclesiastico, prohibitam, adversus Calvinum, Molineum, Salmasium, aliosque novatores affirmamus.

III.

Similiter, cum plurimi errores circa naturam usuræ, præfenti, & præterito sæculo fuissent suscitati, Doctrinam SS. P. Bened. XIV. in Epist. Encyclica adversus usuram Episcopis Italiæ directa libenter amplectimur, erroresque casuisticos, ac Dogmaticos illic confictos damnamus; quæ á §. 1. incipiente *Peccati genus*, usque ad §. *sed illud* inclusive, habentur, toto animo profitentes, ut pote Doctrinæ Catholicæ principia.

IV.

Verum, & genuinum Epistolæ Pontificiæ sensum universalis Ecclesiæ Doctrinæ á SS. PP. traditæ omnino respondere putamus.

V.

Quale autem fuerit venerabilis antiquitatis circa usuras juditium, ex ipsismet fontibus, antiquis scilicet monumentis, hauriendum; non vero ex Recentiorum operibus, aliâs scientia, & virtute pollentium, petendum esse, credimus.

VI.

Petrus Ballarinus, insignis Veronensis Presbiter, duo volumina edidit, quibus Patet Concina exaustam de usuris controversiam putat: miro labore, & industria concinata Ecclesiastica monumenta plurima, tum edita, tum inedita, in medium affert, SS. que PP., ac Conciliorum testimonia recensere studet; frustra ta-

men ex locis truncis, & mutilis, controversiæ finem, nec Ecclesiasticæ traditionis sententiam, inibi quærendam asserimus.

VII.

Dogma Ecclesiæ circa usuram: opus anonymum, recte tamen Burckmanno Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectino tributum, summis laudibus à plurimis elatum, antiquis testimonis non meliori utitur criterio.

VIII.

Ipsam Conciam in eundem scopulum illidentem videmus, dum plura adversus contractum trinum in opusculo singulari, adversus reditus commercij, census utriusque redimibiles, aliaque id genus, tum in Commentario Epistol. Encyclicæ Bened. XIV., tum aliis in locis, ex PP., et Conciliis ardentissimo zelo depromit.

IX.

Illmi. Episcopi Malacitani D. Bartholomei de Espejo Volumen, *de usura personata in contractu trino*, apostolico maximo zelo confectum judicamus; sed nequicquam ex Romanorum Jurisprudentia prædicti contractus injustitiam demonstrare ostendit; nec plus illi favent SS. PP., quæ adducit documenta.

X.

Disciplinæ Ecclesiasticæ eruditus indagator absdubio Pater Thomasinus, sed juxta præjudicatas scholasticas suas devians opinioniones, parum fideliter circa usuras antiquitatis judicium exhibet.

XI.

Doctoribus sane summis, scientia, & virtute maxima fulgentibus circa 12., & 13. sæculum, quo tempore scholastica Theologia vigere cæpit, etsi Doctrinæ Catholicæ illustrissimis propugnaculis, penuria tamen temporum SS. PP., & Conciliorum Autographis carentibus, Decreto Gratiani, aliisque ejusdem fufuris collectionibus tantum usis, nihil mirum est plurima, tum Apocripha, tum mutila, & trunca documenta in eorum operibus irrepisse, quæ circa usuram venerabilis antiquitatis spiritum non liquido exprimant.

XII.

Similiter, quæ inibi in eadem materia ex Ethnicis Philosophis, præsertimque Aristotele, admista habentur, ut, usu temporis, ratione Doctrinam juventi, parum solida, & Juris naturalis principiis respondentia; credimus. Inimò, & ipsa Aristotelis

ope-

opera, quæ tunc in usu, & hodie manibus tenentur omnium, apochripha, & spuria esse, aut, sin minus, fidei admodum dubiæ, demonstrant testimonia hæud levia.

XIII.

Juris Romani studio sec. 12. fervescere incipiente, quo tempore, & in Scholis omnia agitari Scholastice ceperunt, inter quæ circa Justitiam commutativam plurimæ audiebantur, D. Thom. testante, novæ, & periculosissimæ controversiæ: Cùm Theologi, tum Sacrorum Canonum professores multa ex ipsis Romanis legibus mutuarunt, (quod non parum D. Bernardo displicuisse patet ex ejus libro de consideratione ad Eugenium.) Ad eorum normam contractus omnes indagantes, & ex eis Justitiam, vel injustitiam illorum decernentes, quod, & hucusque durat. Cum tamen Romanorum leges, non nisi quatenus exteri Populi considerari valeant, nullamque auctoritatem præferant, otiosum plane putamus ab J. C. Roman. stipem mendicare: Contractuum enim omnium Justitiam, vel injustitiam intrinsecam nulli nisi ex Juris naturalis, & Gentium sacratissimis scriniis petendam esse asserimus.

XIV.

Hinc Systemata tum ex Rom. jurisprudentia, tum ex Philosophicis, naturalibusque rationibus, in Scholis prodi solitis, efformata, parum prodesse credimus ad usurariam labem detegendam.

XV.

Cum ergo *Universalis Jurisprudentiæ* principia, mire cum Evangelica Doctrina convenientia, amore, juxta Systema nostrum, circumscribantur: inde est, quod ad amoris normam omnia devoluta, quæ inter nos, & proximos nostros agi decet, contractus omnes justissimos esse credamus, quibus, et nobis prospicimus, & proximi debitum amorem non lædimus.

XVI.

Cumque charitate servata, absit proximi læsio, & sine læsione, Justitia commutativa violari nequeat; similiter inferitur, nullum contractum injustum dici posse, in quo charitas non violetur.

XVII.

Homines, mutuo amoris vinculo adstricti, mutuis officijs ad invicem juvari tenentur; nec primæva bonorum omnium communio ita rescisa, dominium ve introductum, ut jam ab usu rerum privatarum mutua exclusione homines omnino repellantur:

Jus

Jus illis est adhuc auxilia aliena implorandi, usumque rerum alterius exigendi, pro ut suamet postulat necessitas; ex quo correlativa obligatio sane profluit, ne liberum unicuique sit, alterum infeliciorum, quantum est in se, reddi permittere, nisi officiorum conflictus, quominus id impediatur, ei obstat.

XVIII.

Unde clare patet illum jus tertii violare, injuriamque ei inferre, qui cujuscumque generis sint debita, ut diximus, officia non præstat, sed vendit, lucrumque hoc modo ex inopia aliena præterdit.

XIX.

Nec quo pacto, quo titulo, quo vè contractus genere lucrum id caperetur, aliquid efficit, ut injustitiæ maculam refugiamus, modo (conflicto officiorum non obstante) proximum gratuito beneficio privemus, utilitatem nostram spectantes potius, quam levamen alienum: Quæ doctrina lucem plene affert textui difficili in *cap. naviganti de usur.*

XX.

Ex hoc usuræ indoles, & labes manifestè detegitur; quæ etsi propriam sedem in mutuo habere dicatur, quatenus hujusmodi contractu necessitatibus nostris alienis rebus, quibus tunc temporis caremus, succurrimus, non tamen ita arctissimis mutui finibus circumscribitur, ut altero loco ejus excogitato contractu, statim evanescat, cum & virtualiter idem remaneat, semper ac beneficium à nobis eo intentum, ac, quatenus tale, gratuito debitum, licet alio titulo, obtineamus pretio: nunquam enim Beneficium, ut pote tale, ob pretium sine usura concedi valet: hunc que sensum, & spiritum esse verborum *vi mutui* in usuræ definitione communiter usurpatorum, facile credimus.

XXI.

Hinc confictos casuistarum titulos, quibus laxioris Ethicæ Theologi nixi, fere ab omnibus contractibus usuram exulare faciunt, Deumque irridere commentis Scholasticis putant, dum modo, re ipsa existente, nomen aliquod à mutuo diversum imponendum inveniant, vel aliquid deprehendant, cujus pretextu ultra sortem recipiendum venire dicant, à vera Doctrina, venerabilisque antiquitatis sententia, alienos omnino putamus.

XXII.

Ex dictis patet, quam facile unicuique constare possit, quando
do

do, vel usura aspersum, vel ab ejus tæbe purum se judicare debeat, cum neminem lateat, utrum in officijs proximo prestandis lucro motus, an potius debita pietate impulsus se gerat, cujuscumque contractus nomine id efficiat; Primo enim casu usurariam maculam absdubio contraxisse se debet agnoscere; sicut, & ad ea immunem in secundo sana redit illum intentio.

XXIII.

Hac cautela suscipiendam esse similiter de *Damno emergente*, & *lucro cessante* vulgatam Theologorum Doctrinam asserimus;

XXIV.

Cum ex equalitate naturæ, ejusdemque Joris communione, mutua officiorum communicatio inter homines proveniat, quæ beneficia vendere prohibet, lucrumque, ex dictis, percipere verat, inde etiam patet, regulam hanc inter hominum genus ita vigere, ut nulla in negotiatoribus, Divitibus, Pauperibus vè patiatur exceptio, ut pote quos omnes, etsi Fortuna, vel professione divisos, natura conjunctos agnoscimus.

XXV.

Hinc, qualemcumque usuram proprie talem, non minus cum Pauperibus, quam cum Divitibus, aut negotiatoribus exercitam, acervam, modicam vè, damnamus, adversus Recentiorum plurimos, qui tum Galliæ, tum Belgio, & Italiæ contrarium asserere audent (*).

XXVI.

Hicce principijs bene perspectis, sequitur aliunde, regulam prædictam, ex qua usura dimetitur, ultra officia quoquo modo debita non procedere. Unde cum omnium rerum ita sit ab eorum autore comparatus indefinitus usus, ut hominis utilitati inserviant, non est cur dubitare possimus, liberum jure Naturæ nobis esse eis, quæ in commercio posita nostro Dominio subjacent, uti, pro ut nostra utilitas poscit, decori, & honesti regulis servatis; proinde que, cum, & rebus nostris non per nos ipsos tantum, sed & per alios acquirere valeamus, id est, utilitatem ex eorum usu ab altero facto, sive industria aliena percipere, alienas operas, ex ipsamet utilitate, vel aliunde, compensatas, prono alveo fluit pecunia nostra ita uti posse, ut ex ea utilitatem, vel fructus, negotio, aliavè arte quæramus

mus

(*) Alienissimam mentem nostram exhibemus à Salmalsij Doctrina, quæ aliter usuram damnatam non agnoscit, nisi in quantum est contra Charitatem.

mus sine læsione tertij, id que, vel per nos, vel per alterum fieri licebit.

XXVII.

Cumque, & infeliciores reddi, quod est lædi, & locupletior fieri, quod est prosperari, certo repugnant inter se, patet clarissime contractum, quo alteri pecunia negotianda traditur, quacumque conditione de futuri lucri ex ea captandi divisione, vel affectatione sit pactum, neutiquam improbandum, si taliter sit comparatus, ut alter ex eo locupletior reddatur: In quibus omnibus contractibus potius inde facti, quam Juris quæstionem esse putamus, dum de eorum injusticia lis vertitur, quam ex bona fide contrahentium, virorumque in mercatoria sapientum judicio melius, quam Scholasticis tricis terminandam esse judicamus.

XXVIII.

Similiter cum ex communione primæva retentum Jus in bonis alterius, ex quo gratuitum beneficij sanè profluit, annexum sit officio absoluto conservationis nostræ, illud irrenunciabile existimamus, ac per consequens nullam legem, communem ve sponsonem efficere posse, ut Beneficium vendere liceat, lucrumque illum ob verum mutuum percipere, sive Patri Vito Pikler, sive alijs Ingo^lstadiensibus Thæologis contrarium arideat.

XXIX.

Cum tamen certo nobis sit, pretium rerum ex utilitate communi, quam important, devenire, usulque proinde illarum verum esse earundem valoris objectum; absdubio judicamus usus earum pretium lege taxari posse, immo & debere, hocque varium assignari prout utilitas, quæ in eo expectatur varia reperitur, proindeque argentum ipsum, huic taxationi ita subjacere, ut huic, vel alteri usui destinatum, pluris, minoris ve æstimetur: per consequensque juste tot per centum adaucti valoris per legem taxari posse recipienda ex argento commercio commisso.

XXX.

Contractus, de quibus Theor. 27., si libet mutui commercij nomine distinguere, vel innominatorum classi; incerti ve generis, quorum in jure plurimi, annumerare; non prohibemus, modo eos a vero mutuo, de quo nostram sententiã explosimus, omnimodo diversos agnoscas.

XXXI.

Quod tamen in eis plus recipiatur, quam quod materialiter da-

datum sit, nihil ex dictis arguit injustitiæ, ut plurimi asserere audent.

XXXII.

Multo minus usuraria redduntur lucra ex eis percepta ob jactatam sterilitatem argenti, ejus abusum, translationem dominij, aliaque id genus, passim tradi solita ad usuræ labem demonstrandam.

XXXIII.

Hæc omnia neuiquam venerandæ antiquitatis Patribus probata fuisse liquet ex eo satis, quod cum eis à Sæculo 6., saltem innotuissent; nunquam contra usuram illis ipsi usi fuere; Adversos usurarios tanta, ac tan valida conclamantes, nusquam alij rationibus in crebris argumentis suis nixos videres, nisi ex humanitate depromptis; quibus cum homines ad mortuum amorem inflammare nitebantur.

XXXIV.

Unde nec Sacræ paginæ, Sanctorum Patrum, Conciliorum ve aliquod testimonium, Systemata prædicta, ex quibus usuræ malitia depromenda curatur, confirmare, asserimus confidenter.

XXXV.

Mutuum apud Sacras paginas semper beneficium importat, hinc que constans est tam Patrum, quam Synagogæ traditio, in veteri testamento, usurarum prohibitionem Dominum intendere, eos persuadere, *qui iniquitate, & avaritia gaudent, ut misericordia, & benignitate letentur.*

XXXVI.

Nec plus prædictis Syllthematis Jus Romanum favere credimus; in quo tum Fœnerationis contractus bonæ fidei contractibus Anumerantur, tum usufructus rerum, quæ usu *toluntur, vel minuuntur*, agnoscitur in L. 1. tit. 5. L. 7. D., tum ipsam rem habere videri statuitur, qui actionem habet ad rem recuperandam, L. 15. de div. reg. Jur. D.

XXXVII.

SS. PP. temporibus nullum fuisse discrimen in hisce, vel alijs contractibus, utpote usurarijs condemnandis, (quod nobis ex antiquitate observatum liquet) validissimum argumentum est clarioribus rationibus illos uti, quorum lumen omnibus veritatem patefaciens, nihil dubietatis, vel anxietatis relinqueret; cum nostris temporibus, & à Sæculo duodecimo, Divo Thoma testante, Sapientissimos viros maxima dubietate prelos se invicem oppugnantes in hujusmodi rebus determinandis videamus, circa unius, & ejul-

ejusdemmet contractus approbationem, vel condemnationem plerumque in oppositam sententiam abeuntes.

XXXVIII.

Usuras in lege veteri prohibitas contra Justitiam esse contendimus; sed é contra illas permissas opinamur, quæ proximum non lædentes, cum redditibus commercij, alijsque id genus confunduntur nomine tenus diversæ; ac ita illud Deuteronomij 23. 19. *non faenerabis fratri tuo ad usuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno, ex peristasi Populi Hæbraici, alienarumque gentium interpretari posse suspicamur.*

XXXIX.

Eundem in Novo Testamento spiritum deprehendimus, quo per illud Lucæ 6. 35. *mutuum date, nihil inde sperantes, præceptum de dando mutuo, etiam ut apparet sub peccato mortali, cum Jansenio Gandavenfi promulgari judicamus.*

XL.

Eandem esse SS. PP. sententiam similiter convincimur, tum ex rationibus, quibus usurariam condemnationem semper probant, tum expressis testimonijs, & exemplis clarissime ostendentibus, nusquam Redditus commercij, aliaque id genus cum debitis officijs non pugnantia improbasse; immo & eorum tempore usu receptos, & probatos fuisse.

XLI.

Extant prædicti asserti nobilissima exempla 1. Symeonis Stylitæ tom. 1. *Bibliot. Orientalis D. Josephi Affamani*, in littera Cosmi Presbyteri Phanir ad prædictum Simeonem scripta Sæcul. 5.

2. S. Sidonii Appollinaris lib. 4. Epistol. Epist. 24. eod. Sæc.

3. Desiderati Verdunensis Episcopi apud Gregorium Turonensem Histor. Francor. lib. 3. n. 34. Sæculo sexto.

4. S. Gregorii Magni Pont. Max. lib. 9. Epistol. Ep. 38. Sæcul. eodem.

5. Nockerii Episcopi Leodiensis, quem Molanus numero Sanctorum adscribit in additionibus ad Martyrologium Usuardi: Ingelardi Monasterii S. Richardi Abbatis, apud Spicilegium Luc. Dacher. tom. 2. p. 329. Sæculo 10. Nec non suorum in Abbacia, & Episcopatu successorum Sæcul. sequentibus.

6. B. Ivetæ valde singulare, & expressum in ejus vita ab Hugone Monacho scripta, apud Bolland. 13. Januarii Sæcul. 12.

XLII.

Redditus hosce commercij totius antiquitatis suffragio, & usu probatos primo impugnari cepisse Sæcul. 13., patet ex eis, quæ circa annum 1230. scripta relinquit prædictus B. Ivetæ vitæ Auth.

XLIII.

Eandem tamen antiquam consuetudinem penes Populos omnes durasse probatam, usque in præsentem diem, ex illorum legibus certo constat.

XLIV.

Theologi plurimi, sententiam nostræ oppositam tenentes, Achileo argumento probare credunt SS. PP. nobis contradicere auctoritatem, dum id Hæreticorum confessione confirmant, & suffragio, versutiam hæreticæ pravitatis non callentes, qua SS. PP. infensissimi hostes id facile fatentur, ut hinc occasionem eos calumniandi arripiant, juris naturalis ignorantia illos incusantes, quod ex Barbeyracio præsertim adversus P. Celier clarissime dignoscitur.

XLV.

Pro coronide fatemur Legislatores optime posse hosce, vel illos contractus, etsi nulla intrinseca malitia coinquinatos, prohibere, si rationabiliter timeant, ne eorum prætextu servata usura in societatem irrepat, legesque illam prohibentes illudantur: qua de causa, legibus hisce prohibitivis omnino standum esse laudemus.

XLVI.

Circa usuram innumeras quæstiones, quæ vel in praxi occurrere, vel in Scholis á Casuistarum ingenio excogitari valent, solutionem, & responsionem accipere ex simplicissimis doctrinæ prædictæ principijs explanatis facile, ac secure posse contendimus.

Id periculo nostro demonstrare curabimus omnibus, & singulis quæstionibus, casibus, & dubijs, quæ circa usuram proponi publico certamine queant, responsionem afferre parati, coram amplissima Doctorum Corona in prædicta Universitate Compostellana, Die præsignato.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

